QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum, die Veneris tertiâ Februarii.

M. PETRO DAQUIN, Doctore Medico, Regis ordinario, & in horto Regio Professore Botanico, Præside.

An in apoplexiâ, præmissâ venæ sectione, felicior purgatio?

I.

AFFECTUUM, quos καρωτικοὺς græci, latini *soporosos* nominant, acutissimus, apoplexia. Subita est sensus omnis & animalis motus cessatio cum vocis amissione, & respiratione plus minus læsâ, salvo licet sæpius pulsu. Causas habet vel *venarum interceptionem* vel spirituum universæ cerebri substantiæ medullari insidentium inertiam; hinc præcipuâ in sanguineam, & phlegmaticam seu serosam divisio; sedem habere in ventriculis cerebri nec docet ratio, nec experientia confirmat; in ipsius meditullio firmiori ratione comprobatur. Si spiritus cerebelli incolæ unà fuerint in vitio *vehemens* sane *apoplexia & insanabilis*, maxime si stertor, pulsus vix sensilis, & spuma supervenant. Liber in *caro* & *catalepsi* respirationis usus, pulsus in *syncope* penenullus, sentiendi vis in *uteri præfocatione* illæsa, febris lenta & continua *lethargi* Comes, & convulsivus in *epilepsiâ* motus, summum singulorum ab apoplexiâ discrimen aperiunt. Non quo inopinato corripit impetu, eodem solvitur; at in *hemiplegiam* si non semper, in *paraplegiam* saltem desinit aliamve particularem (cui nomen usus nondum indidit) apoplexiæ non *paralyseos* speciem; à quibus si denuo apoplexia, priori quanto peior? Causa ipsius efficiens summam laborantis arcem, novo furore dum impetit, firmiorem in eâ pedem infigit; num illam inde dejiciet? qui ipsam purgatione primo & præcipue impugnabit.

Ex Hipp. ptc. 24. l. 4. acut.

II.

IN *acutis cunctari, malum.* Acutorum parens est humor vel in partibus hùc illùc mobilis, vel illis infixus tenaciùs; ille copia, fermento vel utrisque turget, hic vel premit mole, vel frigore ναρκοῖ. Ille omni vacuationum genere *statim* pulsandus foràs, *quo vergit maxime, per loca naturæ convenientiora;* hic quia *Crudus, à Coctione,* si speranda, medicandus; aliàs de ipso non nihil vacuatione detrahe, quâ superstitis Coctio promovetur, & naturæ robur additur. Hæc Coctio in suæ cum substantiæ, tum qualitatum mutatione, quæ attemperatio est, consistit; hinc bilis tenuior Crassescendo coquitur, Crassior, & viscidior pituita Coctione attenuatur; sic suo quivis modo Coctus humor, pro substantiæ diversitate ad motum fit habilior, *statim & initio movendus* convenienti pharmaco, vias *quibus movebis,* prius consule, & *redde liberas* perquas meare possit humor. Ab his Pharmaci varietas, delectus & eventus felix.

III.

VITA, quæ in sensus & motus robore confirmatur, à jugi & libero sanguinis circuitu maxime pendet. Hic tum idoneam vasorum, per quæ vehitur capacitatem requirit, tum convenientem principiorum sanguinem constituentium mixtionem. Deficit illa, quod jam copiosiori tunc liquori ferendo spacium? quì fiet jam partium ejus, quæ in spirituum substantiam debent facescere, secretio; hâc vitiatâ minor cuditur spirituum copia, nimius fit crudorum humorum aut ineptorum proventus; spiritus, his si imbuantur, inertiores. A pauciore spiritu languent functiones, uberiori horum *genesi* sanguis in dies ineptior; crudorum cumulus pituitam parit lentiùs mobilem, parti hærentem firmiùs, & ægrius ab ea divellendam: ineptorum productio si sulphureorum, in furias adigit massam sanguineam, *Causode* & *Phrenitide* testibus, disrumpit vasa & quâ datâ portâ ruit, in *abcessibus,* vicina quæque causticâ tanquam vi corrodit, in *ulceribus;* terrea aqueave dominium tenent? quas non strages in *maniacis* illa, hæc

in *ædematosis* suscitant affectibus? in his variæ indolis humoribus, fons omnis apoplexiæ, multiplex à compressione cerebri, diminutâ sanguinis mole solvenda; plurimi ex sanguinis in cerebri substantiam, vasis ruptis, effusione, ἄφωνοι; quem partium vis elastica dum in vasa repelleret, eumdem velocior fluentis per apertiorem venæ sectæ viam cursus secum raperet: quot à summe familiari apoplexiæ causa & frequenti pituitâ, cerebri partes medullosas aut inundante, aut strictius obligante, pereunt attoniti; quæ per sanguinis detractionem sublata partim, partim in majorem acta motum, jam foret Pharmaco minus contumax, quot jugulat insultibus apoplecticis, spirituum narcosis, hanc in sanguine conclusam partim aperta vena discuteret, & reliquam detraheret subsequens purgatio.

I V.

SANGUINIS missio, non modo prima universalium evacuationum, sed & reliquis præstantior est, & tutior maxime in acutis tam præcavendis, quam persanandis, illorum effectricem futuram evacuat materiem, ejusdem in his efferæ, vim & impetum infirmat, dum derivat hanc, aut revellit à sedibus, aut ipsius pondere pressas erigit vires: *plethoram* non minus, quam *cacochymiam*, quanto universaliorem, solvit, abile sive oriatur, sive sit pituitæ fætus, aut humor ater ipsam induxerit; modo in priori casu largior, in pituitosâ cautus, & in melancolicâ non liberalior illam prescripseris sanguinis missionem; citissime imperata quantæ futura sit in apoplexiâ utilitatis, ipse judices. Calorem nativum, qui summæ semper sit curæ medentibus, eventilat pene obrutum, liberum sanguini restituit motum, fluxuris humoribus patentiores reddit vias, impervias aperit, quid plura! pulsus in hoc morbo vix exlex ipsam coindicat & adhortatur.

V.

PRÆVIÆ non raro invalescunt sensim ad apoplexiam dispositiones; his methodo *pro phylacticâ* opus; frigus ergo quo senium indies concidit, sensim & assiduè moderatis alteretur

calidis, & admotis, & aſſumptis; ſit temperantia vivendi lex, non gula; nullus vel parcior ſit uſus omnium, quibus exhauriuntur ſpiritus; de craſſiore habitu, pinguiore, ac proinde inertiore, nonnihil demant identidem tum artis auxilia tum exercitium multum & frequens; tandem *athletica conſtitutio ad ſummum progreſſa haud cunctanter ſolvatur*, diætâ & evacuatione. Sic cavetur ab apoplexiâ. At ipsâ percutiente ſtatim conſultis viribus, utriuſque brachii vena pertundatur, ſecùs venæ ſectionis ſuccedaneæ *ſcarificationes*, *ſanguiſugæ* &c. in uſum veniant. Mox præcipuis internis cavitatibus, earumve glandulis repurgandis ſtudeat Medicus, inteſtinis per *enemata* & *glandes*, ventriculo & vicinis partibus, vel per *Emetica*, vel per *ſennata*, *aloetica*, *diagrediata*, &c. quanti tunc auxilii *errhina*, *gargariſmata*, *apophlegmatiſmi*, & alia id genus *caput purgia*? Ni peſſimus in ſanis tabaci uſus ipſo cibo frequentior, & ardentium liquorum vel acerrimorum potus (ſummæ jam & quotidianæ hominum deliciæ,) ſenſus hos obtunderent: firmabis jam ventriculum & caput roborantibus, quibus aſſumptorum, parciorum licet, felicior coctio fit, & uberiores gignuntur ſpiritus, quibus humor morbi cauſa, per ſanguinem miſſum, in motu poſitus, in motu ſervatur; ſervato motu concoquitur, concoctus repetitis cedit purgantibus, ſic totus foras eliminandus.

Ergo in apoplexiâ, præmiſsâ venæ ſectione, felicior purgatio.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Ludovicus de Vaux.	*M. Franciſcus Vernage.*	*M. Dionyſius Puylon.*
M. Petrus Marais.	*M. Franciſcus Fauſtus Alliot, Medicus Regis ordinarius.*	*M. Raphaël Maurin.*
M. Carolus Contugi.	*M. Joannes-Baptiſta Dodart.*	*M. Petrus Creßé.*

Proponebat Pariſiis CLAUDIUS DUFRESNE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.